



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio I. Vtrùm opera Christi habeant in se condignitatem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

## DISPUTATIO XI.

Vtrum Christus satisfecerit ad aequalitatem pro  
hominum peccatis?

SECTIO I. Vtrum opera Christi habeant in se condignitatem?

SVBSECTIO I. Quaestio explicatus.

SVBSECTIO II. Opinio Scoti & Nominalium.

SVBSECTIO III. Probatur dignitas operum Christi.

SECTIO II. Vtrum in operibus Christi sit necessaria infinitudo valoris?

SECTIO III. Vtrum merita Christi sunt valore infinita?

SVBSECTIO I. Explicata questio.

SVBSECTIO II. Conclusio affirmans.

SVBSECTIO III. Trium argumentorum examen.

SVBSECTIO IV. Prima probatio.

SVBSECTIO V. Questio accurata.

SVBSECTIO VI. Secunda probatio ex sanctitate.

SVBSECTIO VII. Aliqua difficultates.

SECTIO IV. Vtrum Christus satisfecerit ad aequalitatem?

§. 1. **N**ON disputo de rigore iustitiae: etsi enim aequale & iustum idem sunt, tamen iam accipiuntur diuersè: quamuis enim omne iustum est aequale, non tamen omne aequale est iustum. Si ego tibi vendo equum, debes mihi pecuniam in aestimatione aequalem; cuius redditio est actus iustitiae: si autem ego habeo tuos nummos, eosque reddens accipio etiam commodatum equum; reddo tibi aequale: quia equus & nummi aequaliter aestimantur: tunc non exerceatur iustitia. Ita potest considerari aestimatio operum Christi, & iniuriae in Deum, & quasi ad trutinam reuocari, vtra plus habeat ponderis apud prudentem. De hoc est controuersia. Vtrum autem cum hac aequalitate coniuncta sit ratio iustitiae, querendum est inferius. Christus duas habet actiones liberas: alteram increatam, quae est essentia diuina, quae vt liberè amat, est actio grammaticalis, id est, explicatur more actionis, cum tamen in actionis praedicamento non sit. Habet item actionem creatam in humanitate: haec est de praedicamento actionis & qualitatis, & similis nostris producta per gratiam & auxilia supernaturalia, cum immediato ab humanitate concursu: de qua est quaestio, de diuina autem esset stulta.

## SECTIO I.

Vtrum opera Christi habeant in se condignitatem?

SVBSECTIO I.

Quaestio explicatus.

§. 2. **Q**uestio haec potest esse multa de nomine, & de re multa. Valor & dignitas operum Christi possunt considerari in actu primo & secundo. In primo significatur virtus causatiua moraliter operum ipsorum, vt in calore consideratur actus primus, qui est virtus qua potest calor aliquid producere: talem enim virtutem vocamus actum primum. sic virtus operum Christi, qua possunt mouere Deum ad condonandum peccatum, est valor & dignitas in actu primo morali. Actus autem secundus est condonatio ipsa, qua peccatum deletur: sicut actus secundus caloris est actio, qua producitur effectus. Haec condonatio peccati in genere causae quasi efficientis, est actus liber Dei quo condonat iniuriam, qui actus non potest esse effectus operum Christi: nihil enim creatum potest habere causam; est tamen quasi effectus moralis, quia illum actum concipit Deus propter bonitatem operum Christi, cuius impetratio est metaphoricè effectus operum Christi. Est item actus secundus operum Christi ipsa formalis carentia peccati, sicut terminus productus per actionem est actus secundus causae physicae.

§. 3. Querimus dignitatem operum Christi in actu primo: qui actus est proportio, quam opera Christi habent ad praemium: si Deo tantum placeat, quantum peccatum displicuit? si illa complacencia potuit esse satis ad mouendum Deum ad remissionem peccati? id est, si remissio aestimatur plaris quam merita Christi, aut minoris, aut tanti? Haec sunt de re hac in parte. Vtrum autem sit necessaria acceptatio Dei ad actum secundum, est quaestio de nomine infra mouenda. In actu secundo querimus, vtrum re ipsa Deus velit remittere peccatum propter merita Christi? & ad quid sit necessaria acceptatio? num ad aestimationem moralem operum Christi, an verò ad infallibilem condonationem? Philippus Faber in 3. disp. 45. n. 1. ait conuenire inter S. Thomam & Scotum de infinitudine meritorum Christi; dissidere autem in modo.

SVBSECTIO I.

Opinio Scoti & Nominalium.

§. 4. **S**cotus in 3. dist. 19. q. vnic. vers. *In ista quest.* docet merita Christi esse finita in ratione meriti, tam vt oriuntur à natura humana, quam denominatiue à supposito. Imò censet, ea non habere plus valoris quam id ad quod Deus illa voluit acceptare: quibus negare videtur moralem dignitatem & valorem in actu primo, totamque rationem merendi constitui in extrinseca Dei acceptatione. Admittit tamen, ea ratione suppositi esse congruentiora acceptatione quam opera purae creaturae. Consentit Faber in 3. disp. 45. n. 3. quod attri-

net ad infinitatem; non verò ad intrinsecum aliquem valorem, quem nec Scotus, nec Faber negant, ut dicam disp. 63. §. 47. Almainus, Ioannes Medina, Durandus, & Gabriel illam sentire dicuntur à P. Suarez disp. 4. sec. 3. & P. Vasquez disp. 5. cap. 1.

§. 5. Verùm Durandus in 3. dist. 20. qu. 2. non negat à Deo aestimari tanti merita Christi, quanti nostra peccata: sed ille per meritum simpliciter condignum intelligit actum quo Deus obligetur ex iustitia, sine pacto præeunte. in quo sensu docet non posse Christum satisfacere ad æqualitatem pro peccatis, nisi ex Dei libera acceptatione: quia Christus sua opera debet Deo ob alios mille titulos, propter quos possunt à Deo non acceptari in satisfactionem pro peccatis. At cum ipsi Durandus & Scotus constanter asserant actum charitatis delecti maculam peccati, quia tam bona est charitas, quam peccatum est malum: eaque bonitas & malitia sint ex natura sua; non possunt autem bonitas & malitia moralis esse formaliter ab acceptatione Dei; Scotus non constituit mortalem dignitatem & vim in actu primo motiuam pendentem formaliter ab acceptatione Dei. Durandus in 3. dist. 20. qu. 2. num. 20. ait opera Christi ratione suppositi habere dignitatem maiorem quam aliorum hominum. Gabriel autem assertur iniuste: in 3. enim dist. 19. qu. vnic. art. 1. not. 3. docet opera Christi ratione suppositi habuisse dignitatem infinitam, & art. 2. concl. 2. illis redemptionem adscribit, quia fuerunt toti Trinitati accepta (id est gratia); ab illo autem assertum eam infinitudinem esse secundum quid non obest: quia omnis infinitudo quæ non est in genere entis, est secundum quid.

SVBSECTIO III.

*Probaturn dignitas operum Christi.*

§. 6. **O**pera Christi ex intrinseco suo concepti independentem ab acceptatione Dei habere condignitatem in actu primo, qua possunt condignè mouere voluntatem Dei ad condonationem peccati, tam communis est opinio, ut P. Suarez oppositam asserat neque piam, parumque tutam. B. Thom. & Bonauent. ceterique Sancti qui requirunt Incarnationem ad æqualem satisfactionem pro peccato, fatentur, & necessariò fatentur, opera Christi ex se habere condignitatem ad eam satisfactionem. Quòd si ea carerent, quorsum ad satisfaciendum adæquatè Deus homo esset magis necessarius quam homo purus? Innumeros huius sententiæ auctores tum Sanctos, tum Scholasticos luculenter adducunt PP. Valentia disp. 1. qu. 1. punct. 5. quæstiunc. 5. Suarez disp. 4. sec. 3. & 4. & Vasquez disp. 5. & 6. Quam latè propugnat B. Anselm. milles, præsertim secundo *cur Deus homo* cap. 14. probat plures esse & amari vitam Christi, quam odio haberi omnia peccata.

§. 7. Præter Auctores adductos probatur Primò, ex c. 5. ad Hebræos v. 7. *Qui in diebus carnis sue voces supplicationis, ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido ac lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quibus Apostolus dignitati actuum, quibus Christus se obtulit neci, adscribit eum exauditum à Patre. Idem insonat *pro sua reuerentia*: id est, exauditus est propter dignitatem suam

mortis, & propter reuerentiam. *Quia amplius omnibus Deum reueritus est,* ait Glossa ordinaria. *Habuit modum deuorum & reuerentissimum,* inquit Lyranus. *Quam scilicet reuerentiam habebat ad Deum, super omnes,* dixit S. Thom. ibidem. P. Ribera adstruit propter reuerentiam, quam Deo exhibuit, Christum fuisse dignum ut audiretur: adducitque consentientes Patres. Quibus adiunge P. Salmeronè to. 3. in Paul. disp. 13. neque inuenies interpretem vnum quin intelligat Christum exauditum, quia id postulabat eius reuerentia in Deum. Erubescant ergo Christiani, si qui sentiunt id ita factum, quia Deus acceptauit opera Christi, supplens illorum valorem; non verò quòd ea ex se essent digna tanto honore. Nam iuxta illorum sententiam, si Deus acceptasset sanguinem hirci à quocumque homine oblatum cum actu attritionis, etiam exaudiretur pro sua reuerentia & clamore valido. Quis non videt illa verba, *Cum lacrymis & clamore valido,* emphasim ac dignitatem præ se ferre? quibus tribuitur lacrymis Christi dignitas & vis ad impetrandam homini remissionem peccatorum. Nec Scotus est ab opposita sententia, ut probo disp. 63. §. 47.

§. 8. Audi Chrysolomum tom. 4. homil. 8. in eum locum: *Et quamquam (inquit) esset filius Dei, pro reuerentia, inquit, exauditus est: vult ostendere eius esse magis effectum quam gratia Dei. tanta; inquit, erat eius reuerentia, ut etiam propterea eum reuereretur Deus.* Quibus Chrysol. iugular opinionem quam impugno: exauditio enim est effectus reuerentiæ Christi, & non gratiæ Dei, id est acceptationis gratiæ. Chrysol. enim scholasticè rem tractat: non enim negat remissionem peccati esse effectum gratiæ Dei, ut gratia significat aliquid supernaturale existens in ordine quem gratiæ vocamus: sed gratiam opponit meritis, ut significet remissionem nostrorum peccatorum Christo datam non omnino gratis, sed pro dignitate operum. hanc igitur acceptationem Chrysol. voluit exploram, & remissionem peccati effectum esse operum ipsorum. Imò censet remissionem esse concessam, quòd Deus ipsum Christum sic reueritus, id est, censuerit indignum aliquid negare filio id cum lacrymis postulanti. Et quidem tota epistola ad Hebræos, Paulus ostendit discrimen inter sacerdotium Christianum & Aaronicum, ex dignitate Pontificum, ex qua tam diuersi deriuantur effectus impetrationis remissionis peccatorum: præsertim sine capitis 7. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex.* vbi S. Chrysol. tom. 4. homil. 13. inquit: *Hoc ergo significat & magnitudinem sacrificij: quamuis vnum esset, & semel oblatum, præualuit quantum cetera omnia non valebant.* Igitur ex magnitudine & dignitate sacrificij colligit Chrysol. valorem præ ceteris. Quæ collectio esset inepta, si sacrificium esset magnum, ex sola Dei acceptatione: ex ea enim hircus oblatum à sacerdote Aaronico posset esse tam magnum sacrificium, quam Christus, quia posset acceptari ad effectus eisdem.

§. 9. Hinc secundum argumentum efformo ab absurdo: quia quiuis peccator posset esse sacrificium tam dignum reparatione humani generis quam Christus: quia ille potest exercere actus supernaturales adiutus gratia Dei, quos Deus potuit acceptare ad remittenda aliorum peccata: per quam acceptationem illa opera mererentur reparationem generis humani. Imò non colligitur discrimen inter meritum congruum & condignum

S. Thom.  
q. 1. art. 2.

in sententia quam impugno: quia pro attritione potuit Deus dare gratiam sanctificantem: quod si ea sola acceptatio constituit meritum condignum, attritio esset condignum meritum. ergo quando Deus propter bona opera dat peccatori auxilia efficaciacia quibus peccatis emergit, ea dat pro merito condigno: opus igitur est ad haec merita discriminanda, constituere in aliquibus dignitatem ad praemium, qua careant alia.

§. 10. Tertiò, probatur à priori: quia opera Christi habent in se bonitatem moralem supernaturalè, & intensam: quæ bonitas Deo tantum placet, quantum displicent nostra peccata. quod fatentur Durandus & Scotus, neque possunt negare: omne enim bonum qua ratione bonum, placet Deo. actus autem charitatis Christianæ non solum sunt boni, sed meliores multis bonis: ergo Deo placent. Item, quando meremur apud Deum, non solum placent opera merentis, sed etiam persona: qui potius ex complacentia in persona opera sunt cariora: sed persona Christi maximè placet Deo: ergo ratione illius etiam opera.

§. 11. Hinc argumentor. Dignitas ad impetrandum aliquid est bonitas meriti: sed opera Christi independentè ab extrinseca acceptatione sunt bona: ergo independentè ab illa sunt digna praemio. Maior patet, quia meritum non influit in praemium physicè, sed moraliter, mouendo voluntatem Dei: hic autem motus (grammaticalis & metaphoricus, non phycus & proprius) est complacentia Dei in opere bono: ergo bonitas est dignitas meriti. Probatur Minor. Primum ab humanis: quorum Herodes obtulit Herodiadi medietatem regni, nisi quia illi placuit feminae corpus relatum ad numeros: Item Iob 42. 8. *Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam.* Tertiò, ratione probatur, quia praemium est effectus remunerationis, quæ est virtus significans animum gratum, id est gratè accipientem obsequia aut beneficia. Non oportet plus operæ impendere rei tam claræ: nec quid inuenio dignum obiectu. Adi disp. 63. §. 50. ubi id probò ex c. *Vnigenitus*, extrau. de Penitentijs & remiss.

## SECTION II.

### *Utrum in operibus Christi sit necessaria infinitudo valoris?*

§. 12. **N**ecessitas infinitudinis in operibus Christi, vel per se, vel per accidens, siue ratione subiecti, potest considerari. Per se quidem, si compararetur iniuriæ magnitudo cum satisfactione: quia tanta est iniuriæ, vt non possit compensari condignè nisi satisfactione infinita: quia alioquin non exhibetur tantum, quàm ablatum fuit. Finge in Christo esse satisfactionem aliquam finitam: hæc quia in Christo est, potuit esse satis pro peccato: item, licet in Christo potuit non esse talis, quia peccatum maius esset quàm satisfactio finita. Ratione verò personæ potest considerari infinitudo: quia in persona Dei omnis satisfactio est infinita; ac propterea necessariò est maior quàm peccatum. Non disputo nunc, vtrum opera Christi sint necessariò infinita ratione personæ, sed vtrum peccatum tale sit, vt per se exigit satisfactionem infinitam.

§. 13. Ex sententia quam docui disp. 9. de pec-

cato infinito simpliciter in ratione iniuriæ, colligitur esse necessariam infinitudinem satisfactionis per se & comparatione iniuriæ: cui, quia infinita est, simpliciter non æquatur satisfactio nisi simpliciter infinita. Nec satis esset infinitudo intensiōis in actu & gratia, vt ostendi disp. 10. §. 41. quia infinitudo iniuriæ est in altiori genere.

§. 14. In sententia constituente peccatum simpliciter finitum, infinitum autem secundum quid, res est difficilior. Existimo in ea non exigi infinitudinem per se & ratione iniuriæ, sed per accidens à persona diuina. ita sentiunt P. Albertinus tom. 1. quæst. 18. Theologica ex principio 1. philosophico, num. 9. & alij recentiores. Itaque si per impossibile aut possibile Christus exerceret satisfactionem aliquam finitam simpliciter, & infinitam secundum quid, illa esse posset ad æqualitatem. Probatur: quia ad compensandum damnum finitum non exigitur infinita compensatio: finitum enim potest alio finito æquari, alio superari.

§. 15. Dices Primò, iniuriam esse in gradu altiori, quia persona offensa est Deus. Respondeo, & satisfactionem in eodem esse gradu, quia satisfaciens est Deus: ab eodem ergo capite sumitur vtriusque magnitudo, aliunde verò altior est modus satisfaciendi, quia offensa est extrinseca Deo; satisfactio intrinseca per idiomata communicata, & propter naturam humanam vnitam realiter Deo. itaque Deus physicè satisfacit, at non læditur physicè, ob quod eius satisfactio superior est quàm iniuria.

§. 16. Dices Secundò: Implicat satisfactio, nisi à persona diuina: ergo per se exigitur infinita, quia per se exigitur satisfactio talis personæ. Respondeo, vocem *per se* accipi posse ratione personæ, aut ratione offensa. Distinguo igitur consequens. Repugnat satisfactio nisi infinita per se per seitate personæ, concedo consequentiam: per seitate magnitudinis iniuriæ, nego consequentiam. Ad probationem, respondeo exigi satisfactionem à persona infinita, non vt satisfactio accipiat dignitatem simpliciter infinitam, sed vt constituatur in altiori gradu, & constituatur infinita secundum quid. Hoc enim per se petit iniuriæ magnitudo: quia verò hoc non potest obtineri nisi satisfactio constituatur infinita simpliciter propter personæ dignitatem; idè non potest compensari peccatum, nisi per infinitam satisfactionem. Quod confirmatur exemplo omnipotentis & prouidentis Dei: homo non potest produci à causa vt vniuersali, nisi ad illum concurrat potentia creatiua angelorum: non quòd homo ratione sui illam exigit: illi enim satis esset potentia factiua ipsius: quia sicut generatur ab homine impote angelorum, ita produceretur à Deo si haberet potentiam factiuam illius, & non angelorum. quia verò potentia vniuersalis factiua hominis non potest esse, quin simul sit creatiua angelorum, ideo homo pendet à potentia factiua angelorum. Idem dico de prouidentia: quia homo non potest esse obiectum prouidentis, nisi simul obijciatur prouidentia de angelis: at ratione sui illa non indiget; sed ratione diuinitatis, quæ simul cognoscit hominem & angelum. Ita peccatum petit compensari ad æqualitatem satisfactione infinita: quia quamuis compensaretur finita, si esset in Christo, tamen quia non potest esse nisi infinita; ideo ratione personæ satisfaciens petit compensari supra æqualitatem.